

*Venit in Capharnaum, ut impleretur
quod dictum est per Isaiam.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Matthæum 4, 12-23

¹² **C**um audísset Iesus quod Ioánnes tráditus esset,
secéssit in Galilæam.

¹³ Et relícta Názaeth,
venit et habitávit in Caphárnaum marítimam

¹⁴ in fínibus Zábulon et Néphtali,
ut implerétur,
quod dictum est per Isaiám prophétam dicéntem:

¹⁵ «Terra Zábulon et terra Néphtali,
ad viam maris, trans Iordánem,
Galilæa géntium;

¹⁶ pópulus, qui sedébat in ténebris,
lucem vidit magnam,
et sedéntibus in regióne et umbra mortis
lux orta est eis».

¹⁷ Exínde cœpit Iesus prædicáre et dícere:
«Pæniténtiam ágite;
appropinquávit enim regnum cælórum».

¹⁸ Ambulans autem iuxta mare Galilææ,
vidit duos fratres,
Simónem, qui vocátur Petrus,
et Andréam, fratrem eius,
mitténtes rete in mare;
erant enim piscatóres.

¹⁹ Et ait illis:
«Veníte post me,
et fáciam vos piscatóres hóminum».

²⁰ At illi contínuo, relíctis rétibus,
secúti sunt eum.

- ²¹ Et procedens inde vidit alios duos fratres,
Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem eius,
in navi cum Zebedaeo patre eorum
reficientes retia sua,
et vocavit eos.
- ²² Illi autem statim,
relicta navi et patre suo,
secuti sunt eum.
- ²³ Et circumibat Iesus totam Galilaeam,
docens in synagogis eorum
et predicans evangelium regni
et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem
in populo.

Verbum Domini.